

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me: et sicut hæc enumeratio non est impossibilis, neque crudelis carnificina, nec homines facit hypocritas: ita cum in confessione sacerdoti facienda amplius aliquid non requiri tradunt Catholici, etiam ab illis convitiis, secundum iudicium ipsorummet hæreticorum, confessio nostra erit immunis. Hanc ipsam responsionem Concilium Tridentinum reddit Sess. 14. cap. 5. et contrarium effutientes jure damnat Can. 6. 7. et 8.

102. *Obj. II.* Ante Innocentium III. nulla lex aut constitutio lata fuerat de peccatorum confessione facienda; ergo antequam hic laqueum fidelibus injiceret, res erat omnino libera.

R. N. *Ant.* A Christo latam fuisse legem, satis hactenus ostensum fuit: igitur opus non erat, rem a Christo præceptam, et perpetuo Ecclesie usu observatam, novis Episcoporum sanctionibus injungi. Quod si lex divina non fuerit, peccata sacerdotibus confitendi, quomodo Patres ausi fuissent, æternæ damnationi obnoxios pronunciare, qui crimina reticuisissent?

Præter Synodos autem supra laudatas, Concilium Carthaginense III. celebratum sub finem seculi IV. Can. 31. (Labb. t. 2. p. 1172. D.) statuit, poenitentibus pro Episcopi arbitrio tempora poenitentiae esse præscribenda. Chabilonense I. seculo VII. Can. 8. (Labb. t. 6. p. 389. C.) jubet, *ut poenitentibus a sacerdotibus facta confessione indicatur poenitentia.* Concilium vero Chabilonense II. Can. 32. (Labb. t. 7. p. 1278. E.) non tantum actiones externas, sed etiam cogitationes malas in confessione exponendas esse indicat. Eadem monet Concilium Turonense III. Can. 22., Rhemense Can. 12., Parisiense Can. 32. et 46. celebrata seculo VIII. in Gallia. In Germania vero Concilium Moguntinum III. (Labb. t. 8. p. 49. D.) sub Rhabano Archiepiscopo seculo IX. statuit cap. 26. ab infirmis confessionem quidem excipiendam esse, satisfactionem vero eis tantum esse declarandam. Seculo eodem Concilium Wormatiense (Labb. t. 8. p. 950. D.) modum excipiendi confessiones accurate describit.

Quamquam autem hæc omnia non fuissent, nihil tamen inde pro hæreticis conficitur: sicut non sequitur, Eucharistiam fidelibus liberam fuisse antequam lege ecclesiastica fuerat præcepta Communio paschalis.

Inst. Canone *Quidam*, de Poenit. d. 1. legitur: *Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci.* Ergo confessio non est præcepto divino necessaria.

R. N. *Cons.* Hæc duæ voces, *ut Græci*, videntur in textum irrepsisse ex marginali adnotatione imperiti cujusdam Scholiastæ: nec enim habentur in Theodori Cantuariensis capitulari, unde Canon excerptus est: nec in cap. 33. Concilii Chabilonensis II. ex quo Theodorus capitulum exscripsisse videtur: neque L. 4. Sentent. d. 17. ubi eandem sententiam Magister adducit. At neque in Concilio Florentino super hac re contentio ulla erat inter Latinos et Græcos. E contrario Nicolaus Cabasylas c. 29. explicationis Liturgiæ, (Bibl. magn. Pat. t. 12. p. 480. B.) et Anastasius Sinaita q. 6. super Scripturam, docent necessariam esse hanc confessionem sacramentalem. Ac demum sub finem seculi XVI. Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in censura Confessionis Augustanæ c. 11. reprehendit Lutheranos, quod dicerent,

non opus esse peccata singula speciatim in confessione numerari. Ex quibus patet, quam proterve hodie adhuc tamen de Græcis hæretici mentiantur: uti etiam quod Innocentius III. c. *Omnis utriusque*, confessionem privatam instituerit; cum solum Canon iste fidelibus injunxerit, semel saltem in anno confessionem peragere, ne executio hujus divini præcepti diutius, quam par est, differatur.

103. *Obj. III.* Nectarius Episcopus Constantinopolitanus abrogavit confessionem, et unicuique permisit secundum conscientiam suam ad sacra mysteria accedere, ut narrant Socrates L. 5. c. 19., et Sozomenus L. 7. c. 16. *Histor. Eccles.* Ergo confessio non est juris divini.

R. N. *Ant.* quod ipse Dallæus Calvinista Genevensis L. 4. c. 24. falsum esse contendit. Quare nihil est, quod Calvinus hac historia tam contumeliose insultet L. 3. *Instit.* c. 11. n. 7. asinos illos appellando. Nectarius enim non abrogavit confessionem privatam, sed modum confitendi publice, et palam evulgandi peccata clam commissa, qui modus utique non est juris divini. Præsertim vero abdicavit Presbyterum poenitentiarium, et ejus munus sustulit; atque disciplinam Ecclesie in agenda poenitentia ad eum ordinem revocavit, quo ante Decii tempora administrabatur: tunc enim poenitentiae disciplina penes Episcopos erat et plures etiam Presbyteros, e quibus poenitens unum aliquem pro arbitrio seligere sibi poterat. Quod ex Origene in Psal. 37. colligitur, ubi homil. 2. (opp. t. 2. p. 688. A. edit. Ruæi.) postquam ad confessionem fuerat hortatus, ita prosequitur: *Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas peccatum confiteri: proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi et compatiendi noverit disciplinam, ut ita demum si quid ille dixerit, si quid consilii dederit... facias et sequaris. Si intellexerit, talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesie exponi debeat et curari, ex quo fortassis et cæteri ædificari poterunt, et tu ipse facile sanari; multa hoc deliberatione, et satis periti medici consilio procurandum est.*

Cum vero Novatiani Catholicos nimie erga peccantes indulgentiae incusarent, statutum est, ut fideles publice lapsi non ante ad Eucharistiam admitterentur, quam peracta confessione et poenitentia publica. Ad horum ergo excipiendas privatim solum confessiones ab Episcopo designatus est Presbyter poenitentiarium, qui poenitentiam publicam lapsis præscriberet et moderaretur, eisque indicaret, quænam peccata palam in Ecclesia evulgare deberent; id quod erat pars non modica satisfactionis, quam Deo et Ecclesie præstabat. Verum cum Constantinopoli illo tempore mulier nobilis confessa Presbytero poenitentiarium, diutius ab eo jussa fuisset hæerere in Ecclesia precandi causa, accidit ut a Diacono vitaretur, et scelus istud occulte commissum postea ex indiscreto pietatis ardore palam in Ecclesia confiteretur. Unde exortam populi offensam et seditionem adversus Clerum compositurus Nectarius Episcopus, indiscretam istam confessionem publicam atque totum istud munus Presbyteri poenitentiarium abrogavit, et poenitentiae disciplinam redegit in formam veterem, quæ ante Decii persecutionem vigeat, ut vel ab Episcopo poenitentia dictaretur; aut, quia Episcopi aliis negotiis distenti huic pro merito vacare non poterant, poenitentes ipsi sibi assume-

rent in pœnitentiæ moderatorem pro arbitrio suo unum aliquem ex Presbyteris. Hoc autem de pœnitentibus tantum accipiendum est, qui illorum criminum conscii sibi esse videbantur, quæ publicæ pœnitentiæ subdi solebant. Nam qui in leviora nec pœnitentiæ publicæ obnoxia peccata lapsi tantum fuerant, ii pristina semper libertate gavisi sunt, quemlibet vellent e Presbyteris adeundi. Ut enim ad illos non spectarat Presbyteri pœnitentiarii institutio: ita nec ad illos spectavit ejusdem abrogatio.

Inst. 1. Thomas Valdensis tomo 2. c. 141. et Melchior Canus in relect. de Pœnit. part. 5. fol. 89. ad 6. arbitrantur, confessionem sacramentalem reipsa a Nectario fuisse abrogatam, eumque graviter in hoc peccasse; ergo non solum Presbyter pœnitentiarius cum confessione publica indiscreta fuit abrogatus.

R. N. Cons. Confessio privata peccatorum omnium, etiam non subjectorum pœnitentiæ publicæ inviolata mansit. Nam 1º. cuncti qui præcesserant Patres, eam ad salutem necessariam esse enuntiaverant; convellere ergo eam nec voluit, nec potuit Nectarius.

2º. Ex Sozomeno ipso hæc doctrina satis firmatur, dum loco citato ita scribit: *Cum pœnitentibus, etiamsi sæpius deliquerint, veniam dare Deus præceperit, cumque in petenda venia peccatum necessario confiteri oporteat; grave et molestum ab initio jure et merito visum est, sacerdotibus tanquam in theatro, circumstante totius Ecclesiæ multitudine, crimina sua evulgare. Itaque ex presbyteris aliquem, qui vitæ integritate spectatissimus esset, et taciturnitate et prudentia polleret, huic officio præfecerunt: ad quem accedentes ii, qui deliquerant, actus suos confitebantur. Ille vero pro cujusque delicto, quid aut facere singulos, aut luere oporteret pœnæ loco indicens, absolventes a seipsis pœnas criminum exacturos.* Hucusque Sozomenus. Ex cujus verbis duo potissimum colligimus: alterum, quod arcana etiam crimina Pœnitentiario aperiabantur, in quo nimirum prudentia et taciturnitas requirebatur: alterum, quod ad obtinendam veniam necessario oportuerit confiteri crimina. Igitur Nectarius confessionem secundum se abrogare, ex veterum sententia non potuit.

3º. S. Joan. CHRYSOSTOMUS Nectarii successor idem Ecclesiæ dogma non uno in loco confirmat, ut mox declarabimus.

4º. Joannes Jejunator, qui post Nectarium et S. Chrysostomum in eadem sede Constantinop. cum fama sanctitatis floruit, in libello pœnitentia ab se ad usum Ecclesiæ Orientalis scripto, confessionis necessitatem apprime commendat, ubi inter alia: 4. *Sacerdos, inquit, eum interrogat super singulis peccatorum generibus. 5. Post acceptam accurate omnium singillatim delictorum confessionem, idem Sacerdos pœnitentem absolvit, etc.*

5º. Synodus etiam Trullana anno 692. celebrata ex plerisque orientalibus Episcopis, necessitatem confessionis sumptioni Eucharisticæ præmittendæ decernit can. 102. (Labbe. t. 6. p. 1183. B.)

Inst. 2. Pluribus in locis S. Joan. CHRYSOSTOMUS disputat, quod Deus nihil aliud exigat, nisi ut sibi soli dicatur peccatum, et quod talis confessio sufficiat; ergo confessio homini faciendæ non est juris divini.

R. D. Ant. Disputat S. CHRYSOSTOMUS, quod Deus præter confessionem sibi soli faciendam, nihil aliud exigat, et quod hoc solum sufficiat, ad remissionem peccatorum impetrandam per dolorem perfectum C. quod Deus nihil

aliud exigat et hoc solum sufficiat ad implenda Christi præcepta N. Testimonium ex homil. 21. ad populum Antiochenum inepte prorsus adducitur a Dallæo; illa enim homilia inscribitur *Catechesis ad illuminandos*, seu Catechumenos, ad quos pœnitentiæ sacramentum nihil adhuc attinet. Homilia autem 30. quæ est 5ª. *de incomprehensibili Dei natura*, homil. 57. quæ est 9ª. *de Pœnitentiâ*, hom. 20. in Genes., et hom. 68. hortatur omnes Christianos, ut peccata sua agnoscant cum pudore et dolore confiteantur Deo, exemplo Publicani; cum et ipsi tres pueri fornacis Babylonicæ, licet vitæ essent purioris, nihilominus palam confiterentur, Dan. 3. v. 33.; commendat autem summam Dei benignitatem ad ignoscendum nobis propensam, quia simul ac ei quis cum Davide dixit, *Peccavi*, nullas ad veniam dandam moras interponit. Hom. 2. in Ps. 50. hom. 4. de Lazaro, et hom. 58. omnes ad pœnitentiam, exemplo Jobi et Pauli invitât, et quibus interdiu non vacat, ut saltem noctu in lecto peccatorum examen et confessionem eorum instituât. Quæ omnia Catholici ubique docent, nec tamen homines a confitendi officio apud sacerdotes exsolvendo immunes pronuntiant.

Inst. 3. Idem CHRYSOSTOMUS negat necessarium esse hominibus confiteri; ergo.

R. D. Ant. Negat necessarium esse hominibus confiteri publice C. privatim N. Ad expugnandam peccatorum vecordiam et contumaciam, Dei facilitatem inducens hom. 21. ad pop. Antioch. (opp. t. 6. p. 74. C. Edit. latina Ducæi) *Si quis, inquit, ex secularibus iudicibus alicui captorum latronum diceret, ut peccata confiteretur et dimitteretur; omni certe promptitudine hoc susciperet, salutis cupiditate pudorem contemnens. Hic vero hoc non est: verum et peccata dimittit, nec cogit presentibus quibusdam ea palam confiteri, etc.* Quod autem tantum neget necessariam confessionem publicam, testatur ead. hom. 21. paulo superius: *Deus peccata non revelat, nec manifesta facit nec conspicua, nec cogit in medium procedentes, quæ peccavimus, enuntiare.* Et homil. 30. (opp. t. 1. p. 490. C.) *Neque enim, inquit, te in theatrum ducò conservorum tuorum; hom. 20. in Genes. (opp. t. 4 p. 175. B.) Ostendamus, inquit, ulcus medico, qui curet, et non exprobet; hom. 2. in Ps. 50. (opp. t. 5. p. 589. A. in Appendice.) Non dico ut ea conservo exponas, qui te probris impetat; hom. 4. de Lazaro (opp. t. 1. p. 758. E.): Num homini dicis, ut te probro afficiat?*

Inst. 4. Idem CHRYSOSTOMUS confessioni coram Deo, quam exigit, solam confessionem publicam ut minime necessariam constanter opponit; confessionem autem in aures sacerdotum faciendam silet; ergo.

R. D. Ant. Confessionem sacerdoti privatim faciendam silet, quod ea locis a Dallæo nuper objectis ad propositum non faciebat C. confessionem sacerdoti privatim faciendam silet aliis etiam in tractatibus N. Sanctus Doctor prædicabat, locis nuper laudatis, singularem Dei humanitatem, qui pudori hominum parcat, etiam dum iis ignoscit: nec præcipit confessionem publicam, cujus major est verecundia et gravius jugum. Exemplum autem private confessionis coram sacerdote faciendæ ad id non conducebat, tum quia hanc Deus a nobis flagitat, tum quia non ita pudibunda est. Quod autem idem S. CHRYSOSTOMUS docuerit, sacerdotibus aperienda peccata esse, jam artic. præced. Inst. 1. ad obj. 3. ex L. 3. de Sacerdotio indicavimus, ubi: *Insania enim manifesta est, inquit, despiciere tantum principatum,*

sine quo nec salutis, nec promissorum bonorum compotes esse possumus. Eamdem necessitatem jam ante firmaverat L. 2. c. 3. (opp. t. 1. p. 374. 375.) *Multa, inquit, arte opus est, ut qui laborant Christiani, ultro sibi ipsi persuadeant curationibus sacerdotum sese submittere... Itaque nihil eorum relinquendum est, quod probe non excutiat atque examinet Episcopus: quin omnia accurate ac studiose perscrutatum tum demum oportet illum sua ipsius remedia congrue, apte, accommodate afferre.* Hom. 30. in Genes. (opp. t. 4. p. 294. A.). *Quia, inquit, in magnam hanc hebdomadam pervenimus Dei gratia, nunc maxime et jejunii cursus intendendus, et magis continuandae sunt preces, faciendaeque diligens et pura peccatorum confessio; et inferius (p. 301. B.): Scit enim inimicus noster, quod per tempus illud possumus de iis, quae ad salutem nostram attinent, loqui, et peccata declarare seu aperire, et detegere vulnera medico; et sanitatem consequi.* Hom. de muliere Samaritana (al. homil. 33. vel 34. in Joan. opp. t. 8. p. 199. B.): *Eum, inquit, qui nos iudicaturus est, non reformidamus; eos vero qui nullatenus nos laedunt, perhorrescimus, et ignominiam ab ipsis inurendam reformidamus: Quapropter eo ipso quod timemus, penam sustinemus. Qui enim homini detegere peccata erubescit, Deo vero cernente facere non erubescit, neque confiteri vult, neque poenitentiam agere; in die illa non coram uno vel duobus, sed universo terrarum orbe spectante traducetur.* Denique hom. 9. in epist. ad Hebr. (opp. t. 12. p. 98. B., 99. D., 100. A.): *Cujusmodi ergo est medicamentum poenitentiae et quomodo conficitur? primum, ex peccatorum suorum condemnatione et declaratione. Tum addit: Quod oporteat et se in sacerdotes, ut convenit, gerere. Tandem modum confitendi adducit: Sin autem dicit, sum peccator; ea autem per species non cogitat et supputat, et non dicit: hoc et illud peccatum admisi; nunquam cessabit, semper quidem confitens, curam autem nullam gerens correctionis.*

Inst. 5. S. CHRYSOSTOMUS eos, qui per confessionem Deo interius factam a peccatis expurgati fuerint, videtur ab omni deinceps onere relevare; ergo non restat confessionis apud sacerdotes instituendae labor.

R. N. *Ant.* An non restabant poenitentiae privatae et publicae opera, quibus et justitiae divinae et Ecclesiae aedificationi satisfaceret? An sustulit etiam hac confessione Deo soli facta eleemosynas, quibus redimerentur peccata? An si quis aliena surripisset, ea restitui prohibuit? Quod si S. CHRYSOSTOMUS Deo soli confessos omni pudoris necessitate exemisse videtur; pudorem confessionis publicae intellexit, minime vero privatae: nam in hom. de muliere Samaritana, totum illud pudoris genus, quod divelli nequit a confessione privata, peccatoribus devorandum esse pronuntiat.

Inst. 6. Verba illa Apostoli 1. Cor. 11. v. 28. Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, etc. Ecclesia Romana de confessione sacramentali interpretatur Sess. 13. Trid. c. 7., quasi haec sit necessaria probatio ad Eucharistiam sumendam. Atqui locum illum Pauli non ita accipit CHRYSOSTOMUS hom. 56., quae est 8. de Poenit. (al. 6. opp. t. 2. p. 326. B.) et hom. 28. in 1. Cor. (opp. t. 10. p. 250. E.) sed de examine privato; ergo non idem, quod Romana jam Ecclesia, de confessione sensit.

R. N. *Cons.* Accessuri ad S. Eucharistiam duplicem probationem instituere possunt, quarum prior communis est Christianis omnibus, scilicet expendere statum animi, num quid criminis aut pravi affectus ei inhæreat,

quo indignus quis sit, aut minus idoneus ad tantum mysterium capiendum. De hac probatione potissimum disserit B. CHRYSOSTOMUS, et Conc. TRIDENTINUM priore parte c. cit. Probationem hanc communem Christianis omnibus sequitur probatio altera peculiaris tantum eorum, quos criminis gravioris conscientia redarguit. Atque istos quidem a confessione publica immunes declarat S. Doctor dicta hom. 8. de Poenit. his verbis: *Non in commune theatrum accusationem producit, non delictorum testes statuit: intus in conscientia, adstante nemine praeter eum, qui cuncta videt, Deum, iudicium peccatorum statuens, reforma quod deliquisti: atque sic pura conscientia sacram attinge mensam.* Et hom. altera: *Neque jussit, ait, alteri alterum probare; sed sibi se ipsum, faciens iudicium, ad quod populo non pateat aditus, et probationem, quae careat testibus.* Adeo autem peccatores a privata confessione non eximit, ut ad veniam impetrandam enumeratione criminum singillatim sacerdoti faciendae opus esse plane asseveret, prout pluribus ex S. Patre testimonii prolatis demonstravimus nuper ad Inst. 4. Beatus autem CYPRIANUS vehementer invehitur in eos peccatores, qui ante actam poenitentiam et reconciliationem Ecclesiae ad communionem accedunt: imo et sacerdotes ipsos reprehendit, qui peccatores ad communionem facile admittunt ante perfectam satisfactionem, ut videre est epist. 10. 11. 12. 14. 18. et L. de Lapsis, et aliis locis frequenter. Idem sentit S. AUGUSTINUS epist. 118. c. 3. (al. epist. 54. ad Januarium) dicens, eum qui conscientia peccati mortalis gravatur, non suo, sed sacerdotis arbitrio debere ad hoc sacramentum accedere, vel ab eo abstinere. Et L. 50. hom. 35. alias 50. fuse hanc doctrinam exsequitur. Et Auctor libri de Ecclesiasticis Dogmatibus c. 53. (Patrol. t. 58. col. 994. B.) item scribit, criminis conscius sibi, *Sacerdotis iudicio reconciliatum communioni sociari debere, si vult non ad iudicium et condemnationem sui Eucharistiam percipere.* Clarius LEO M. epist. 91. cap. 2. (al. epist. 108. ad Theodor. episcop. opp. p. 1174.) *Mediator, inquit, Dei et hominum hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem poenitentiae darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum, per januam reconciliationis admitterent.* Recte ergo Patres Concilii Tridentini dicunt: *Ecclesiastica consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.*

ARTICULUS III.

UTRUM POENITENTIAE SACRAMENTUM DISTINGUATUR A BAPTISMO?

104. *Nota I.* Cum, ut scribit Sozomenus sup. cit., in nullo penitus peccare divinius cujusdam naturae sit, et humana praestantioris, lapsis vero post Baptismum spes veniae divinitus praebatur; reconciliationem istam Catholici per Poenitentiae sacramentum fieri docent, quod proinde secundam post naufragium tabulam appellant Tertullianus L. de Poenit., S. Hieronymus in c. 3. Isai. et epist. ad Demetriadem, alique Patres, et Theologi cum Magistro in 4. d. 14., S. Thoma q. 84. a. 6. Baptismus enim est prima tabula, quam in communi originalis peccati naufragio arripimus.